

Lo spartano Agesilao (da *Cornelio Nepote*)

Agesilaus Lacedaemonius cum¹ a ceteris scriptoribus tum eximie a Xenophonte Socratico collaudatus est: eo enim usus est familiarissime². Hic primum de regno cum Leotyichide, fratris filio, habuit contentionem. Mos erat enim Lacedaemoniis a maioribus traditus, ut binos haberent semper reges, nomine magis quam imperio, ex duabus familiis Procli et Eurysthenis, qui principes ex progenie Herculis Sparta reges fuerunt. Mortuus erat Agis rex, frater Agesilai: filium reliquerat Leotyichidem. Quem ille natum non agnorat³, eundem moriens suum esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao, patruo suo, contendit neque id quod petivit consecutus est.

Agesilaus, simul atque imperii potitus est, persuasit Lacedaemoniis ut cum exercitu se mitterent in Asiam bellumque regi facerent, docens satius esse in Asia quam in Europa dimicari. Namque fama exierat Artaxerxen comparare classes pedestresque exercitus, quos in Graeciam mitteret. Data potestate tanta celeritate usus est, ut prius in Asiam cum copiis pervenerit, quam regii satrapae eum scirent profectum.

Integrità morale di Manio Curio (da *Valerio Massimo*)

Manio Curio rifiuta sdegnosamente l'oro offertogli dai Sanniti; nel secondo aneddoto il senato gli riserva dal bottino una vasta estensione di terra, ma egli si accontenta della misura assegnata agli altri.

M'. Curius, exactissima norma Romanae frugalitatis idemque fortitudinis perfectissimum specimen, Samnitium legatis agresti se in scamno adsidentem foco et cenantem ligneo catillo spectandum praebuit⁴: ille enim Samnitium divitias contempsit, Samnites eius paupertatem mirati sunt: nam cum ad eum magnum pondus auri publice missum attulissent, benignis verbis invitatus ut eo uti vellet, vultum risu soluit⁵ et protinus «Supervacuae -inquit-, ne dicam ineptae, legationis ministri⁶, narrate Samnitibus M'. Curium malle locupletibus imperare quam ipsum fieri locupletem, atque istud ut⁷ pretiosum, ita malo hominum excogitatum munus refertote et mementote me nec acie vinci nec pecunia corrumpi posse».

Idem, cum Italia Pyrrum regem exegisset, nihil omnino ex praeda regia, qua exercitum urbemque ditaverat, adtigit. Decretis etiam a senatu septenis iugeribus agri populo, sibi autem quinquaginta, popularis adsignationis modum non excessit, parum idoneum rei publicae civem existimans qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset.

Lucrezia (da *Livio*)

I capi dell'esercito lodano le proprie mogli, e per prova si recano nottetempo in città: le nuore del re sono a banchetto, invece Lucrezia, nonostante la notte inoltrata, è ancora intenta a filare.

In stativis, ut fit longo magis quam acri bello, satis liberi commeatus erant, primoribus tamen magis quam militibus; regii quidem iuvenes interdum otium convivii comisationibusque inter se terebant. Forte potantibus his apud Sex. Tarquinius, ubi et Collatinus cenabat Tarquinius, incidit de uxoribus mentio. Suam quisque laudare⁸ miris modis. Inde certamine accenso, Collatinus negat verbis opus esse; paucis id⁹ quidem horis posse sciri, quantum ceteris praestet Lucretia sua. «Quin, si vigor iuventae inest, conscendimus equos invisimusque praesentes nostrarum¹⁰ ingenia? Id cuique spectatissimum¹¹ sit quod necopinatio viri adventu occurrerit oculis.» Incaluerant vino; «Age, sane!» omnes; citatis equis avolant Romam. Quo cum primis se intendentibus tenebris pervenissent, pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes, sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt. Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit.

¹ Qui *cum* ha valore coordinante, correlativo col *tum* che segue (“non solo ... ma anche”)

² *uti aliquo familiarissime*: essere in grande familiarità con qualcuno.

³ *natum...agnorat*: “non aveva riconosciuto come figlio al momento della nascita”

⁴ Costruisci: *Samnitium legatis se praebuit spectandum*

⁵ *vultum risu solvit*: “si mise a ridere”

⁶ Vocativo: “O ministri di un’ambasceria ...”

⁷ *ut ... ita*: correlativi (“tanto ... quanto”)

⁸ Infinito narrativo, traduci con l'imperfetto.

⁹ *id* è prolettico di *quantum*: propriamente “ciò, ossia quanto ...”, ma si può non tradurlo.

¹⁰ Sottinteso *uxorum*.

¹¹ *Id cuique spectatissimum sit quod*: “Per ciascuno la prova più sicura sia ciò che...”

Il prefetto Gaio Ampio cade in un agguato (da Livio)

Il console Publio Elio invade il territorio dei Galli Boi; un suo prefetto, Gaio Ampio, viene assalito e ucciso con gran parte dei suoi mentre è incautamente intento senza sentinelle a raccogliere frumento.

Eodem fere tempore P. Aelius consul in Gallia, cum audisset a Boiis ante suum adventum incursiones in agros sociorum factas¹², duabus legionibus subitariis tumultus eius causa scriptis additisque ad eas quattuor cohortibus de exercitu suo, C. Ampium, praefectum sociorum, hac tumultuaria manu agrum Boiorum invadere iussit. Ampius, ingressus hostium fines, primo populationes satis prospere ac tuto fecit; delecto deinde ad castrum Mutilum satis idoneo loco, ad demetenda frumenta -iam enim maturaerant erant segetes- profectus neque explorato circa nec stationibus satis firmis, quae armatae inermis atque operi intentos tutarentur, positus¹³, improvise impetu Gallorum cum frumentatoribus est circumventus. Inde pavor fugaque etiam armatos cepit. Ad septem milia hominum palata per segetes sunt caesa, inter quos ipse C. Ampius praefectus; ceteri in castra metu compulsi¹⁴. Inde sine certo duce, consensu militari, proxima nocte, relicta magna parte rerum suarum, ad consulem per saltus prope invios pervenere.

Amaro rimpianto (Cicerone)

Cicerone, condannato all'esilio, mentre si reca in Grecia, lontano dalla moglie Terenzia, dalla cara figlioletta Tullia e dal fratello Quinto, esprime il suo profondo sconforto.

Scr. Brundisii pr. K. Mart a. 696 a.U.c.

TVLLIVS S. D. TERENTIAE ET TVLLIAE ET CICERONI SVIS.¹⁵

Ego minus saepe do ad vos litteras quam possum, propterea quod cum¹⁶ omnia mihi tempora sunt misera, tum vero, cum aut scribo ad vos aut vestras lego, conficior lacrimis sic ut ferre non possim. Quod¹⁷ utinam minus vitae cupidi fuisset! Certe nihil aut non multum in vita mali vidisset. Quod si nos ad aliquam alicuius commodi aliquando recipiendi spem¹⁸ fortuna reservavit, minus est erratum a nobis; si haec mala fixa sunt, ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre et in tuo complexu emori, quoniam neque dii, quos tu castissime coluisti, neque homines, quibus ego semper servivi, nobis gratiam rettulerunt.

Nos Brundisii apud M. Laenium Flaccum dies tredecim fuimus, virum optimum, qui periculum fortunarum¹⁹ et capitis sui prae mea salute neglexit neque legis improbissimae poena deductus est quo minus²⁰ hospitii et amicitiae ius officiumque praestaret. Huic utinam aliquando gratiam referre possimus! Habebimus quidem semper. Brundisio profecti sumus a. d. II Kalendas Maias; per Macedoniam Cyzicum petebamus.

Sapersi accontentare vuol dire possedere una grande ricchezza (Cicerone)

Non esse cupidum pecunia est, non esse emacem vectigal est; contentum vero suis rebus esse maximae sunt²¹ certissimaeque divitiae. Etenim si isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest, quanti est aestimanda virtus, quae nec eripi nec subripi potest, neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempestatum nec temporum perturbatione mutatur! Qua praediti qui sunt, soli sunt divites. Soli enim possident res et fructuosas et sempiternas solique, quod est proprium divitiarum, contenti sunt rebus suis, satis esse putant quod est, nihil adpetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt; improbi autem et avari, quoniam incertas atque in casu positas possessiones habent et plus semper adpetunt nec eorum quisquam adhuc inventus est, cui quod haberet esset satis, non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

¹² Sottinteso esse.

¹³ La relativa *quae ... tutarentur* interrompe l'ablativo assoluto *nec stationibus satis firmis positus*.

¹⁴ Sottinteso sunt.

¹⁵ "Scrisi questa lettera a Brindisi, la vigilia delle calende di Maggio del 696° anno dalla fondazione di Roma (il 58 a.C.)
Tullio saluta (s.d., cioè *salutem dicit*) i suoi cari Terenzia, Tullia e Cicerone (cioè Quinto Cicerone, suo fratello)"

¹⁶ Anche qui *cum...tum* sono correlativi: "certo ... ma soprattutto".

¹⁷ Traduci questo *quod* con "e".

¹⁸ Ricostruisci: *ad spem alicuius commodi recipiendi*.

¹⁹ Sottinteso *suarum*.

²⁰ *deductus est quo minus*: "è stato indotto a non..."

²¹ E' plurale perché concorda col nome del predicato *divitiae*: "è / rappresenta una grandissima e stabile ricchezza".